M Stanbach
81e

Galliâ;eúm neque vt illa violento sole torreatur, neque vt hæc assiduis ventis fatigetur. sed media inter vtramque: hinc temperato calore, inde felicibus & tempestiuis imbribus, in omni genere frugum fœcunda est. Nam, vt Philostratus scriptum reliquit, hîc cæli temperies talis est, qualis autumni tempore in Attica esse solet. Hinc verè de ea hæc apud Solinum: Terrarum plaga comparanda optimis, nulli posthabenda, frugis ac soli copia; siue vineariis prouentus respicere, siue arborariis velis. Omni materiâ affluit, quæcunque aut precio ambitiosa est, aut vsu necessaria. Aurum & argentum si requiras, habet: ferrariis numquam deficit; nec cedit vtilibus, vincit olea. Nihil in ea otiosum, nihil sterile. quidquid cuiusçumque negat messem, viget pabulis. etiam quæ arida sunt ac sterilia, rudentum materiam nauticis subministrant. Hæc eadem confirmat Pomponius, his verbis: *Viris, equis, ferro, plumbo, argento, auróque tam abundans & adeò fertilis, vt sicubi ad penuriam aquarum essent a & sui dissimilis est. linum tamen aut spartum alat.* Turdetaniam autem (siue Bæticam) hinc excipit Strabo, qui tradit hanc vtrúque ita abundare, metallis nempe & frugibus, vt nulla satis laudatio eius præstantiæ institui possit. Atque horum omnium tam fœcunda, vt non ipsis tantùm incolis, referente eodem Trogo, verùm etiam Italiæ, vtbique Romanæ sufficiat. Atque hæc generatim. Distinctiùs autem paullulum Strabo; qui docet huius Hispaniæ regiones omnes non æquè frugiferas ac felices: minimeque eas, quæ metallis abundent. Eius etiam magnam partem incommodè habitari, propter montes & siluas, atque campos exili terra prædítos. neque vbique aquis satis irriguam, vt circa Carpetaniam aut Celtiberiam, & partem eius Septentrionalem Oceano obiectam: vbi pessimè degitur, propter montium asperitatem, & aëris frigiditatem. caretque hæc pars omnino frugibus. (Hunc tractum voluit fortè Iuuenalis Satyra 3 vbi inquit, *Horrida vitanda est Hispania*.) At oræ tus, qua Mediterraneum attingit mare, oleis, fœcubus, vitibus, aliisque id genus plantis (etsi his mediterranea non omninò careant) abundat. Adeò vt non inconcinnè hoc Silij, tam sæpiùs citati, hîc adiungam,

Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho, Nullaq; Palladia ſe ſemagis arbore tollit.

In Lusitania etiam, ea in primis parte quæ inter Tagum fluuium & Arrabros est, solum felix, quod ad fruges & pecus attinet: præmque auri & argenti, & similium rerum copia. Confirmat de eadem hoc Athenæus 8. quoque. Et versus Meridiem sita, teste Plinio, felix est omnis regio tota nempe Bætica hæc cunctas prouinciarum diuite cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. In eadem tanta pabuli lætitia, vt nisi absinentia interpellata fagina, vt apud Trogum est, fuerit, pecora rumpantur. Sed non tantùm terra, sed & mare etiam quod hanc Turdetaniam alluit, æquè fertile: abundat enim omni ostreorum, concharum, purpurarumque genere, etiamque thynnotum: quorum hic quæ tuosa piscatio. & inde condita variæ generis salsamenta. Atque hucusque de summo terræ corio. Nunc autem de metallorum sub eo abstrusorum, prodigiosis diuitiis. Totam Hispaniam scatere auri, argenti, ferri, plumbi, nigri albique metallis, atrestantur Plinius & Strabo. De auri argentique copia etiam fidem facit sacra historia 1. Machab. cap. 8. necnon Iosephus 2. Belli Iudaici 16. Sed plurimum in montibus aridis sterilibusque, in quibus nihil aliud gignitur. qui auri bono coguntur, (vt cum Plinio loquar) fertiles esse, vt sunt circa Bastetaniam & Oretaniam, in quibus auri metalla describit Strabo. Idem in Argenteo monte non procul à Castulone, argenti etiam circa Ilipam, & vtramque Sisaponem, (ad Babylam ciuitatem, vt habet Polybius.) In Melessum finibus, vbi Oringis vrbs, tradit Liuius incolas argentum fodere. Ad Tagum quoque in montibus esse fecturas metallicas. apud Cotinas æs aurumque nasci, apud eundem Strabonem legimus. Galleciæ regio (audi Trogum) æris ac plumbi vberrima: auro quoque ditissima, adeò vt etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. Eandem Galleciam, Asturiam, & Lusitaniam, æquè omnium metallorum fœcundam, prædicat Plinius. Inter auri ramenta inuentas aliquando scribras glebas, scriptum reliquit Strabo. Idem ex Phalereo, etiam Diodorus, quiait quosdam qui in argento effodiendo occupantur, talentum Euboicum singulis tribus diebus percipere. Ibyllam ciuitatem nominat Stephanus, apud quam auri & argenti fodinas esse dicit. Maxima argenteorum fodina est apud Carthaginem Nouam, ab vrbe ad x. stadia dissita. vbi x l. millia hominum in labore versantur: atque in singulos dies P. R. vigintiquinque millia drachmarum inde tributa fuisse, teste Strabone, credimus. Vicena millia pondo argenti annis singulis Asturiam, Galleciam, & Lusitaniam præstitisse, tradit ex aliorum side Plinius. Eodem auctore, argenti puteus est, Bebelo nomine, qui c c c. pondo Annibali subministrauerit in dies. Hunc circa Pyrenæos fuisse, ex eo fortè quis coniciat, quod addit, Aquitanos aquas ex eo egerere. Argenti ex Pyrenæorum nati incendio (cuius historiam lege apud Strabonem, & Diodorum) tanta fuit copia, vt l hominces, quum illud auehere nt, atque argentum onustis nauibus superaret, loco plumbi, ancoris illud subderent; aut, vt Aristoteli placet, (circa Tartessum, ipsas inde ancoras fabricauerint. Turdetanos argenteis pateris (lacunaribus mauult interpretari Casaubonus) & doliis vsos annotatum est à Strabone. Sed & flumina aliquot huius regionis aurum ferre, inter quos Tagus, nemo non celebrat scriptorum meminit. nec minùs à Poëtis celebratur, vt à Iuuenale, Statio; item Silio hoc versu: *Hic certant Pactole tibi Duriaq; Tagusq;*

Arguunt horum metallorum copiam tot ducti hinc à Romanis triumphi, & in iis allata auri & argenti vis admiranda. quorum locuples & fide dignus testis Liuius plurimis in locis. Exempli caussa vnum aut alterum subnectere visum. M. Heluius hinc tulit in ærarium argenti infecti quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo. & signati bigatorum x v i i. millia x x i i i. Oscensis argenti c x x. millia c c c c l x x v i i i. Cn. Cornelius Lentulus auri nille & quingenta pondo quindecim, argenti viginti millia. Quintius Crispinus, M. Fuluio Nobiliore, Albino, aliisque apud eundem leguntur, videant qui huius regionis insignem metallorum opem stupere velint. adeò vt Ant. Augustinus recte dixerit, Hispaniam id temporis Romanis eo loco fuisse, quo nunc America Hispanis. Ego ne longus sim, ad alia me confero, quorum æquè beata est Hispania, vt equorum, canum, cuniculorum, gemmarum, aliarumque multarum rerum. Cuniculis abundantem esse docet versiculus Catulli hic, *Cuniculosa Celtiberia fili.* item numerus Hadriani Imp. in quo hoc animalculum huic adpingitur regioni. Eius quoque lanam, (nigri velleris) Coraxicis meliorem, linum, (vnde optima retia, teste Gratio,) spartum, coccum, picem, mel, ceram, sal fossile, alumen, chrysocollam, vitrum, minium Sinopica terra non deterius, purpurissum, aliosque colores: crystallum, magnetem, lapidem speculararem, obsidianum, & ceraunios, hyacinto sque gemmas, prædicant Plinius, Strabo, Varro, Diodorus, Florus, Trogus. Ochram, Cadmiam, Schistum & Sory gignere, scribit Dioscorides: Cinnabarim vrà cum auro in Hispania eiui, ait Pausanias in Arcadicis Suberem erborem Pyrenæis familiarem, tradit Theophrastus. Glandem Ibericam inter alias præstantem, ex Varrone celebrat Gellius. Amethystum Ibericum habet Heliodorus. Pernas etiam Cerretanorum, quas præstantiores Cantabrorum æstimat Strabo. Murænam Tartessiam laudat Gellius. De fœtu horum pinguedine mirabile quiddam narrat 2. de Re Rustica, cap. 11. Varro; de earum cute nempe ad os, pedem & tres digitos fouisse. Canes laudant Oppianus & Iul. Pollux, item Nemesianus. quorum *proles de sanguine manat libero.* Idem Varro & Oppianus, cum Strabone huius equos feros celebrat. De quibus suspicauerim Olympium Nemesianum hæc cecinisse:

Quin etiam gens ampla iacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum latè fœcunda proborum, &c.

Et idem sæpius iam appellatus Silius:

Martius hic sonipes campos hinnitibus implet,
Hinc iuga cornipedes euecti bellica captant,

Et idem alibi, de alio genere:

Hic parvus sonipes, nec Martinotus, at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer trahit esseda collo.

Martialis quoque hæc, *Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,*
Venit ab armiferis gentibus Astur equus.

De iisdem fortè ita Gratius.

Non tamen Hispano Martem tentare minacem
Ausim.

Hoc forta sse illud equinum genus, quod Plinius thieldones & asturcones vocat, parua forma: quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno eorum explicatu glomeratio. & quos tollutim incedere, docet Plautus: Asturcones & mannos collaturos vocat Seneca, in Epistolis. De curulibus, siue quadrigalibus equis, hinc sæpius olim ob velocitatem petitis, multus est Q. Aurel. Symnachus. qui eam equini pecoris diuitem nominat. Silius hos adeò veloces facit, vt ventos post terga relinquerent. De equis vento conceptis, ad Oceanum, circa Olysipponem (apud Vettones autem Silto) in monte Tagro, Varroni, (Sacro Columellæ) non fortasse tam vera quàm multa. Fauonio aut Zephyro vento hoc tribuunt omnes. Pullos autem hinc natos non plus triennium viuere, perhibent Columella & Varro. sed septimam eos ætatem ferre, Silius. Notissimum esse scribit Columella, pro re incredibili, sed vera, recitat Varro, dicitque equas ex vento ibi concipere, vt hic gallinæ solent: quarum oua hypenemia (siue subuentanea) vocat; Zephyria Plinius. De his Aristoteles 5. & 6. Animalium. Et quamuis Solinus & D. Aug. De ciuitate Dei, idem de equis in Cappadocia euenire scribant, & Homerus Boream ventum impregnasse equas Erichthonij fabuletur, neque nesciam Aelian. 7. Animal. cap. 27. ventos etiam in animalibus fecunditatem augere: malim tamen credere cum Trogo, natam fabulam: ex equarum fecunditate, & equorum pernicitate: vt non immeritò vento ipsi concepti videantur. De his tamen noster Silius, ipse Hispanus:

Et venerem occultam genitali concipit aura.
Ore omnes versa in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptant q; leues auras, & sæpè sine vllis
Coniugiis vento grauida, (mirabile dictu.)

Atque de iisdem fortè hæc Virgilius,

Sunt autem & alia in Hispania miracula. vt in Carrinensi (Catinensi alius legit) agro, duo fontes, alter omnia absorbens, alter omnia respuens. In eadem gente alius, qui aurei coloris ostendit omnes pisces: nihil extra illam aquam ab aliis differentes. In Cantabria fontes Tamarici tres, singulis siccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra suspicionem villam aquæ. cùm sit vicinus illis fons sine intermissione largus. Plinius. In Cantabriæ lacum fulmen decidisse, & reiectas duodecim secures, ait Suetonius, in Galba. In Hispania fluuium esse, quem primo adspectu nihil ab aliis differre videtur: at si paullò attentius auscultes, aquam resonantem audies. vbi enim vel modicus ventus vertices impulerit, aqua fidis in morem sonum edit. plectri siquidem ventus, citharæ verò aqua vsum præbet. Achil. Statius 1. Aimorum. In Galleciæ finibus Sacer mons est, quem ferro violare nefas habetur; sed si quando fulgure terra prosciss a est, quæ in his terris assidua res est, detectum aurum, velut Deûm munus colligitur. Trogus. Sal purpureum inueniri in Lusitania, Strabo. aliud, dulcedine quadam temperatum, in iugis Tarraconensibus cædi. tradit Sidonius ad Oresium. Apud Hispanos Alpinos circa Iberum describit Gellius ex Varrone, montem magnum, ex mero sale: cui quantum demas, tantum adcrescit. Salsamenti Hispanici mentio apud Lucianum in Votis. Montem præruptè altum in Cantabriæ ora maritima, totum ex ferro constare, scribit Plinius. Apud Gades ægrotantibus contigit, quod animæ morientes non deserunt, quo tempore excrescens aqua regionem inundat; teste Philostrato. Atque hæc de Hispania veteri, terris omnibus terra felciore, cui excolendæ atque adeò ditandæ impensius quàm ceteris gentibus (vt ait Latinus Pacatus) supremus ille Fabricator indulsit. Cuius descriptionem finire placet eo elogio, quo Plinius suam Naturalem historiam, hoc nempe: *Ab Italia, excepiis Indie fabulosis, proximè quidem dixerim Hispaniam, quocumque ambitur mari.*

Extra hanc Hispaniæ continentiam, est ea quam vocauimus Insularem, siue Balearium. Hæc tota ex insulis constat; quarum nomina sunt in Oceano; Gades, Iunonis, Geryonis, Londobris, Corticata, Aunios, Deorum, & fabulosæ fortè hoc tractu Cassiterides. In Mediterraneo mari, Baleares duæ, Maior & Minor: Pityusæ totidem, quæ sunt Ebusus & Ophiusa: Scombraria, Colubraria, Capraria, Tiquadra, Plumbaria, Planesia, & Mænaria, omnes, si Baleares & Gades excipias, ignobiles. Gades nobilitantur Herculis & Geryonis fabulis, atque Arganthonij longæui imperio. Baleares fundis inclaruere, fameque à cuniculis allata: quorum tantam in his copiam aliquando fuisse, vt contra horum prouentum auxilium militare à D. Augusto incolas petiisse, veteres testentur historiæ. Horum vina confert primis Italiæ Plinius. Seruium hallucinasse credideram, cùm scriberet in v i i. Aeneidos, Geryonem Balearibus & Pityusis præfuisse. Omnes ceteri namque hunc circa Gades regnasse tradunt. nisi quis adducat pro Seruio, hæc Trogi: *In parte Hispania qua ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit.* Sed Gades & insulas huic in Oceano vicinas, tantùm hunc voluisse, argumento est fabuli lætitia, quam his adscribit: quæ Balearibus minimè conuenit. Et Bocchoris, non Geryonis, regnum Baleares fuisse, Solinum testem habeo. Præter autem has dictas insulas, classicis auctoribus notas, alias habet Sex. Rufus Auienus, his nominibus, Oestrymnides, Achale, Poëtanion, Agonida, Cartare, Strongile, & Lunæ. Has quia nemo alius nouit, fortè ex iis quis esse coniecerit, quas Plinius mari vadoso patras appellat, & numero fermè viginti. Quid si his quoque Cromyusam & Melussam Stephani adiecero?

De transfretana, siue Tingitana, quia nomine solùm, non re, ad Hispaniam pertinet, tum etiam quòd de ea Pomponius hæc, *Regio ignobilis, & vix quidquam illustre sortita, paruis opidis habitatur, parua flumina emittit, solo quàm viris melior, & segnitie gentis obscura*: nihil hic dicendum existimaui.

D

12
133297

HISPANIA.

Hæc est bellatrix illa, viris animisque nobilis (vt Flori verbis vtar) Hispania; prima versus Occidentem Europæ continentis regio: quam pelago vndique incinctam, nisi qua tangit Gallias, vbi ea ab hac Pyrenæis montibus tamquam naturali munimine distinguitur, adspicis. Hanc primùm Iberiam vocitatam, ab Ibero nempe flumine, aut vt alij, à rege, sunt qui credunt. Auienus ab Ibera ciuitate (cuius & Liuius meminit) Beticæ, ad Hiberum flumen, alium ab illo Tarraconensi. Ego & regionem & flumen ab Iberia, Asiatica regione, (vnde nempe horum origo) & Ibero huius amne, nomen sortitam, faciliùs crediderim. Hesperiam quoque dictam, ab Hespero rege, infimæ classis, præter Honorium & Pseudoberosum, auctores habeo. Sed à Vespero stella, siue Occasu (cùm sit vltima versus Occidentem cogniti ab antiquis Orbis regio) portiùs sic nominatam, ipsa facilè euicerit veritas. Ita Hesperiam vltimam eam cognominat Horatius, ad differentiam alterius; Italiæ nempe, quæ apud Virgilium Magna cognominatur. Vt Græci enim hanc Hesperiam vocant, ratione situs, quo illis versus plagam Occiduam siue Vesperalem est, ita Itali illam eâdem de caussa eodem vocamine insigniuere. Tandem autem ab omnibus vtriusque linguæ scriptoribus sub Hispaniae nomine, idque ab Hispano, nisi fallat Trogus, celebrata fuit. An Pannonia παπονία aliquando dicta fuerit, vt Stephanus περὶ πόλεων tradidit, ignoro. Paniam autem olim appellatam, ex Plinij 3. cap. 1. videtur: cùm inquit Lusam nomen dedisse Hispaniæ Lusitaniæ; Pana autem eius præfectum, vniuersæ. Huic videtur adstipulari apud Plutarchum Sosthenes lib. 3. rerum Ibericarum: qui scribit regionem Paniam à Pane dictam; sed iuniores Spaniam postea dixisse, Spaniam vocat D. Hieronymus ad Esaiam 64. & Spaniam (pro Spania fortè) à Chaldæis appellari, scripsit vir omni laude superior B. Arias Montanus, commentariis in Abdiam. Et sunt qui σπάνια legunt apud D. Paullum ad Romanos. Pro *Hispania*, vt in vulgatis apud Trogum, *Spania*, legi in membranis: item in optimis Q. Curtij exemplaribus, annotauit vir doctissimus Bongarsius. Sic quoque semper scribi solere ante annos septingentos, auctor mihi fide dignissimus Ambr. Moralis, antiquitatum Hispanicarum diligens perscrutator, in Notis ad Eulogium, non vno in loco. Tagum, Spaniæ fluuium facit Glossarius vetusin Iuuenalem. Σπάνιν pro Hibera, & σπανία pro Hispania est in veteri Lexico Græcolatino, ab H. Stephano edito. Galenus 6. Simplicium cap. 4. scribit oleum quod ex Iberia [Hispania] portatur, Spanum. i. Hispanum appellari. Confirmant hanc scripturam hactenus huius regionis incolæ, qui eam *España* (siue Spania) nominant. Espania enim & Spania, scriptione tantùm differunt. Solent enim Hispani verbis Latinis ab S. littera inchoantibus E præponere, & sua facere. exempla huius pete ex nostro Thesauro, in voce *Iberia*. Sed & Celtiberia aliquando vocata fuit, testis Appianus, & alij. Hinc incolas Celtiberos & Celtocsnytas antiquitus, & quoque Igletas dictos, apud Strabonem legimus. Sepharad ab Hebræis nominari, docet dictus Montanus, & cum eo Postellus. Sed satis de nomine, eam ipsam nunc aggrediamur. Dionysius & Strabo huic regioni formam corij bubuli tribuunt. Quadratam dicit Trogus: Trigonam A Ethicus, auctor mihi minimæ fidei. Speciosa cognominatur, in constitutione Imp. F. Constantini, quam Scaliger ad Ausonium edidit. In Maiorem & Minorem diuidit Stephanus. Inferioris meminit vetus inscriptio. Erudita antiquitas eam in Citeriorem & Vlteriorem, siue Exteriorem distinxit. Sequuta ætas in tres; & aliis nominibus. Citeriorem enim Tarraconensem; Vlterioris partem quæ ad Occidentem, Lvsitaniam; quæ ad Meridiem, Baeticam vocauit. Postea sub Impp. Romanis in sex prouincias diuisa fuit: quarum nomina apud Sex. Rufum; Tarraconensis, Carthaginensis, Lvsitania, Gallicia, Baetica, & Transfretana, quam & Tingitanam cognominant. Hanc vltimam autem extra veram Hispaniam esse, ostendit tabula in Africa nempe, trans Fretum. His portò septimam adiicit lib. Notitiar. Insvlarem, siue Balearivm. Tota hæc Hispania in quatuordecim Conuentus iuridicos à Romanis diuisa fuit. In Lusitania enim habet Plinius tres, Emeritensem, Pacensem, & Scalabitanum. in iisque x l v. opida. In Citeriore, siue Tarraconensi septem, Carthaginensem, Tarraconensem Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, & Bracarum. inque iis c c x c i i i i. opida. In Bæticaquatuor illi sunt Conuentus, Gaditanus nempe, Cordubensis, Astigitanus, & Hispalensis; & in iisdem, opida c l x x v. Sunt in vniuersum quingenta & quatuordecim opida. Et quamuis Strabo illi quodammodo plura tribuere videatur; eos tamen mentiri putat, qui plura quàm c l o. in ea fuisse perhibent; atque magnos pagos eos opidorum loco enumerasse: dicit quæ regionem non esse multarum vrbium capacem, ob soli ariditatem, vel feritatem hominum, si oram Mediterranei maris demas. Hispanos enim plerosque agrestes esse, & vicos habitare. Habitari autem vbique, ex Pomponio quis intelligere poterit: qui eam abundantem viris dicit. & Cicero in quadam Oratione scribit, Romanos, hos non vicisse numero, sed religione & sapientia. Qui primùm hanc terram inhabitauere, fuisse Iberos, Phœnices, Persas, Celtas, & Pœnos, tradit ex Varrone Plinius. sic quoque Appianus. Addo Romanos, fugatis inde Pœnis, siue Carthaginensibus. Sed de incolarum genio, ritu, viuendique more, pauca ex variorum classicorum monumentis delibare, & his attexere, quia non iniucundum legentibus fore confido, non inutile putaui. Flauam proceritatem his adscribit Calpurnius Flaccus. Ex cæli quibus subsunt dispositione dicit hos Iulius Firmicus elata iactantiæ animositate præposteros; ac idcirco hos virium iactantiæ à pluribus deseri. Omnem in vniuersum gentem ferocissimam, iugique impatientem, dicit Florus: audacem, Tibullus: astutam Vopiscus: feram & bellicosam, atque velocem corpore, inquieta, auidaque in nouas res, & feris propiora quàm hominibus ingenia, Trogus & Liuius: viribus corporis Romanis præstare, Vegetius. Impacatos Iberos nominat Virgilius in Georgicis. quia abactores sunt, vt interpretatur Seruius, aut quia in latrociniis præponderant, vt interpretatur Iunius Philargyrius. Corpora ad inediam laborémque, animus ad mortem parati sunt; testibus Val. Maximo, & Trogo. vnde Silius Italicus:

Prodiga gens animi, & properare facillima mortem,
Impatiens aui, spernit nouisse senectam,
Námque vbi transscendit florentes viribus annos,
Et fati modus in dextra est, &c.

Regibus se deuouere, & post eos vitam refutare, scribit ex Sallustio Seruius ad 4 Georg. Aduersus hostes crudeles tunc, aduenis humani & hospitales. Aduenientes enim exteros benignè hospitio excipiunt: adeò vt æmulatione quadam inuicem pro honore illorum certent. Diodorus. Mundiciei amantes, eos facit Ptolemæus 2. Quadrip. etiam Diodorus; sed qui vna in re hos spurciitiei accusat, quòd nempe totum corpus vrina lauent, dentesque fricent, hanc optimam corporis curam existimantes. Sed hoc solùm Cantabris & horum vicinis adscribit Strabo: Celtiberis Catullus. De dentibus meminit quoque Apuleius, Apologia pro se, prima. Affluenter variis carnibus nutriri, potum ex melle confici, & vinum emtum bibere, apud Diodorum legimus: sed hæc fortè circa oram Mediterranei maris; nam potu ex frumento soluto eos vti scribit Florus, & Plinius, (eumque cæliam & ceriam vocat) & ex tritico, vt Dioscorides, eumque curmi nominat. Zythum Lusitanos bibere, vini enim parum habere, tradit Strabo. parumque illud quod habent, statim in conuiuia cum cognatis insumunt. Horum potum ex fruge madida factum, vetustatem ferre, annotauit idem Plinius 14. cap. 22. Hac de causa fortè Hispanos inter eas gentes numerat Athenæus, quæ inebriari soleant. Idem quoque de Celtiberis scribit Plato. Parum autem vini apud eos fuisse Strabonis tempore; ex eo verisimile est, quòd Vopiscus scribat Probum Imp. Hispanis primùm permisisse vt vires haberent, vinumque concrescent. Durum omnibus & addstrictam parsimoniam eis tribuit Trogus. & quamuis ditissimi, vt habet Athenæus, aquam bibunt, soli cibum capiunt, vt sumptuosè incedant. Neque in festos dies vllus epularum apparatus: teste Trogo. Erucæ filuestris semine eos loco sinapi vti, scribit Dioscorides. Plinius scribit eos suo ævo glandem in fecundis mensis habuisse, sed ex harum farina etiam panem conficiebant. Strabo. Hunc autem leuiorem esse cæteris ait Plinius; quòd eum fermento condiant. Humi eos decumbere, eundem testem Plinium habeo. Breui vtuntur veste ac nigra. Diodorus. Striges nominat Hispanorum vestium genus, Isidorus Originum 19. cap. 23. Bellum quàm ocium malunt; cùm extraneus deest, domi hostem quærunt, si Trogum audias. In bello non equites modò, sed & pedites robore, malorumque tolerantia cæteris excellentiores habent. Præclia aggrediuntur carminibus, teste eodem, & Silio, vbi inquit, *Ritu iam moris Iberi, Carmina pulsata fundentem barbara cetra.* Et duobus gladiis fulti, cum equestri certamine superiores euaserint, ex equis desiliunt, pedites que pugna adiuuant, quod idem Suidas de Celtiberis. Gladij hi, vt ex Liuio & Polybio constat, breuitate agiles erant, ad propiorem pugnam habiles, & cum mucronibus; ita vt punctim, non cæsim ferirent. Suidas tamen Celtiberorum gladiorum præstantiam eò prædicat, quòd pugnant acriter, & ictum vtraque manu potenter ferant. Gæsis quoque vsos fuisse, docet Athenæus; cùm tradat Romanos iis dimicare, & ex Hispanis didicisse. Hos verò eas ab Afris habuisse, ex Polluce verisimile fit, qui vocat gæsam Libycam, hastamque dicit ferream. Galeas ferunt æreas. Cruribus ocreas ex pilis factas aduoluunt. Diodorus. Leui armatura, peltis, iaculo, fundo, eos vti, Strabo auctor. Linteis purpura prætextis, & candidissimis tunicis induti præliabantur, vt tradit Polybius. Et quamuis tragicis stolis & variis amicti tunicis, etiam ad pedes dimissis vestiti, in publicum prodibant, teste Athenæo, nihilo tamen ad bella gerenda ideo erant ignauiores, ac miuus fortes. Hæc eorum armatura, & vestitus militaris. Ex Aristotelis 7. Politicor. non omittendum duco, quòd tot columellæ circa defunctorum sepulcra statui solent, quot quisque hostes occiderit. Neque hoc Silij 13. *Tellure (vt perhibent) iu mos antiquus, Ibera Examina obscœnus consumit corpora vultur.* A Elianus hoc peculiariter de Barcæis scribit, atque tantummodo de iis qui in bello perierunt; qui autem ex morbo, igne cremari dicit. Proclive eis esse transnare flumina, ait Cæsar, eorumque omnium consuetudinem esse, vt sine vtribus ad exercitum non eant. In Sallustianis fragmentis lego his morem fuisse, vt in bella euntibus iuuenibus parentum facta memorentur à matribus. Plurimis militares equos & arma, sanguine ipsorum cariora esse, tradidit Trogus. Solent etiam toxicum sine vllo dolore necans, sibi parare, ex herba quadam apio simili, vt illud ad quæuis fortunæ incerta in promtu haberent, auctore Strabone. Florus dicit eos venenum ex taxis arboribus ad hoc exprimere. Huius etiam apud Plinium mentio est, sed ex baccis taxi. Atque hæc de gente in genere, nunc speciatim de nonnullis. Lusitani fortissimi, sed latrociniis infames, agrosque minimè colunt, suntque insidiandi, indagandique periti. celeres, leues, & versatiles. (Zytho eos vti diximus.) Butyrum eis olei vsum supplet. Vasis vtuntur cereis. Coreaceis vsi sunt nauigiis, vsque ad Brutum. Magnas autem onerarias naues habuisse postea, ex Strabone liquet, quarumque numerum cum Africanorum æquare minimè veretur. Fidem huic facit quoque Sidonius, in Panegyrico Maioriano. Apud hos carbasa quoque primùm reperta, annotauit Plinius. Talis horum vita. Eodemque modo etiam viuunt Callaici, Astures & Cantabri; vsq. ad Vascones & Pyrenæos montes. quod docent Varro de Re Rustica, Dion, Iosephus, & Strabo. apud quem & Diodorum de his plura. Indigetes asperos dicit Sex. Auienus, & *Gens ista dura, gens fera venatibus, Lustris q; inhærens.* De Cantabris audi Silium Italicum, libro tertio:

Cantaber antè omnes hyemisque, æstúsque, famisque
Imbelles iamdudum annos prauertere saxo:
Inuictus, palmámque ex omni ferre labore.
Nec vitam sine Marte pati, quippe omnia in armis
Mirus amor populo, cùm pigra incanuit ætas
Lucis caussa sita, & damnatum viuere paci.

Celtiberos vocat Strabo togatos, & dicit eos quondam omnium maximè feros inhumanosque habitos, sed esse gentem populosam & pecuniosam. Silius, bellacem:

His pugna cicidisse decus, corpúsque cremari.

Idem Strabo iudicat Turdetanos omnium doctissimos. quòd vtantur grammatica, & antiquitatis habeant conscripta monumenta, ac poëmatibus & metris inclusas leges. Carpetanos, Vaccæos, Lacetanos, & Callaicos, nobiles gentes idem vocat. Sed de his vltimis non possum non denuo Silium adducere, vbi ait:

——misit dines Gallecia pubem
Barbara nunc patriis vlulantem carmina linguis,
Catera femineus peragit labor: addere sulco
Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Semina, & impresso tellurem vertere aratro.
Ad numerum resonas gaudentem plaudere cetras.
Segne viri quidquid duro sine Marte gerendum est,
Hæc requies, ludúsque viris, ea sacra voluptas.
Callaici coniux obit irrequieta mariti.

Et quia ad feminas peruentum, Trogum idem contestari audiamus: Feminæ, inquit, res domesticas, agrorumque culturam administrant. viri armis & rapinis inseruiunt. Idem apud Strabonem, qui addit eos cùm pepererint, suos viros decumbere iubere, isque ministrare. Interque operandum ipsæ sæpenumero infantes lauant & inuoluunt, ad alueum alicuius fluminis aclinantes. Viris quotannis telas suas publicè proponunt; & quæ virorum suffragio plurimum elaborasse visa fuerit, illi maximum honorem deferri annotauit ex Nicolao quòdam Strabæus cap. de Temperantia. Apud Cantabros vir mulieri dotem adfert; & filiæ hæredes instituuntur; & ab his fratres in matrimonium elocantur. Harum vestitus & ornatus apud eundem legere est, ex Artemidoro. Structuras huius regionis, materia, virgultis, stramentis, arundinibus, & fronde constitisse, ex Vitruuio intelligimus. Parietes habent quos appellant formaceos, quoniam in forma circumdati, vtrimque duobus tabulis infarciuntur veriùs quàm instruuntur, Plinius 35. cap. 14. De religione priscorum Hispanorum pauca apud auctores reperio. atque hæc tantùm apud dictum Strabonem: Lusitanos nempe Marti caprum immolare, præterea captiuos & equos, coniicere, & futura prædicere ex captiuorum extis, quin & ritu Græcorum hecatombas instituere. item gymnica certamina. Aruspicinæ minimè imperitos fuisse ex Lampridij de Alex. Seuero dicto, discimus, quòd hic nempe eos in hac arte vicisse scribat. Accitanos Martem (quem Necyn vocât) colere, apud Macrobium inuenio. Callaicos nihil de Diis sentire quidam aiunt. Celtiberos autem & eorum vicinos circa Septentrionem, innominatum quendam Deum noctu in plenilunio, ante portam cum totis familiis choreas ducendo, totamque noctem festam agendo. venerari. Ex Plinio tamen constat antiquitus Sagunthinos coluisse Dianam, ibidem à Zacynthiis aduectam, annis ducentis ante excidium Troiæ. Hæc de gente. Sed vt aperiùs aliquanto huius ingenium se prodat, historiolis paucis id ostendere lubet. Vettones quo tempore primùm in Romanorum venerant potestatem, & quosdam centuriones videbant deambulandi caussa hac illac flectere, opinati eos insanire, dueres se ad tabernacula eis præbuere: putabant enim aut in tabernaculo quietè sedendum, aut pugnandum esse. simplicitatis hoc. Vide Aelianum 2. Variarum, cap. 5. Bello Cantabrico matres liberos suos necarunt, ne in hostium manus peruenirent. Puer parentes fratresque captos omnes interfecit, ferrum nactus; mandante patre. Item que mulier quædam vnà secum captos. Quidam ad ebrios vocatus, coniecit se in rogum. libertatis amoris notæ. Quosdam eorum captos & in crucem fixos pæana cecinisse, tradunt, mortis contemtus. Hæc ex Strabone. Sequentia ex Trogo: Celebriatur bello Punico ferui illius patientia, qui vltus dominum, inter tormenta risu exsultauit, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. insignis fortitudinis hoc exemplum. Sæpè tormentis pro silentio rerum creditarum immortui. adeò illis fortior taciturnitatis cura, quàm vitæ. Possent huiusmodi exempla plura ex auctoribus huc adduci, sed hæc pauca de gentis genio sufficiant. & ad regionis, solique naturæ descriptionem accingamur. & primùm de eius fertilitate. Fertiliorem eam facit Trogus Africâ aut